



Zur
Gräfl. vom Hagen'schen

Majorats - Bibliothek




MÖCKERN

gehörig

N^o 1412





Q. D. B. V.

DE

IDIOMATE IMPERIALI,

Von der,
In Reichs-Handlungen üblichen Sprache;

PRÆSIDE

DN. NICOL. CHRISTOPHORO
LYNCKERO, JCTO,

*Consiliario Aulae, Regim. & Consist. Ducal. Saxon. Facult. Jurid. Se-
niore, Cur. Provinc. ac Scabin. Assess. & Antecessore Primario:*

DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO COLENDISSIMO:

IN AUDITORIO JCTORUM

D. JANUAR. A. O. R. MDCLXXXVII.

DISPUTABIT

GEORG. GOTTLOB STRUVIUS,

JENENSIS.



HALAE MAGDEB. SUMTU HENDELIANO, 1736.



DE
IDIOMATE
IMPERIALI.

SI quæ tabulæ Germanorum, si qui contractus & forensia cætera, *litteris* exarata reperiuntur, ante ætatem *Caroli M. Imp.* atque *Bonifacii* Episcopi missionem: ea fere omnia *Græco* aut *Latino* idiomate, aut litera saltim, scripta esse constat. Et *græcis* quidem *litteris* Gentes Germanicas usas fuisse, ex *Cæsare L. I. & VI. d. Bello Gallico* colligitur: * Easque inter

A 2

* Priusquam enim per Germaniam *littera Latina* adhiberentur, *Græca* literatura obtinuit, a *Græcis* ad *Narbonenses Gallos*, diu ante natum Christum, profecta. Inde *Galli* eam in omnibus fere negotiis actisque publicis usurparunt, eaque *Druydes* quoque usi sunt; donec ulterius ad *Helvetios* progressa, in quorum castris *Cæsar*, (qui primus fere ex his, qui de gente nostra quid prodiderunt, nobis relictus est:) tabu-

ter *Francos* speciatim obtinuisse, *Triebemius*, *Aimonius* & *Gregorius Turonensis*, evincunt. *Latina* vero Lingua cum primis *Leges Gentium Germanicarum* præscriptæ sunt, non modo illarum, quas recenset *D. Rhetius*, *Lib. 1. Tit. 1. Inst. Jur. Publ. §. 29.* sed & *Saxonum*, *Frisionum*, *Bavarorum*, *Thuringorum*: quod vel hæc quas *Lindembrogius* & *Baluzius* collegere, comprobant. *Arms* scilicet operam dederant magis quam literarum studiis, suæmet ipsius linguæ incuriosi; adeo ut *Duces* quoque nominentur & *Magnates*, qui ne quidem nomina sua scribere quiverint: sicut *Tassilo*, *Dux* ille *Baioariorum*, non nisi per laminam perforatam literas, nomen suum præferentes, ad exemplum *Justini* olim *Imp.*, ducere potuit: quanquam hæc quoque ruditas, post tempora *Carolina*, multos etiam, quod mireris, ex *Episcopis* & *Monasteriorum Præfectis* invaserit. (v. *Mabillon. Lib. II. d. Art. Dipl. c. 22. p. 163. sq.*) Nam & sub hæc tempora ipse quoque *Latinus* sermo, qui jam dudum pariter atque *literatura Latina* præ *Græca* frequentari cœperat, per ruditatem seculi, & imperitiam *Notariorum*, multa barbarie scedatus est, ita ut nec *Grammatica*, & præcipue quidem *orthographia*, neque *phrasi* genuina constiterit, velut ex *Marculfi* formulis, & quæ his ab

tabulas *Græcis* literis scriptas vidit, atque sensim ad *Europeas* nationes cæteras deducta fuit. *Tacitus* vero, quando *c. 19. n. 3. d. M. G.* incitiam literarum Germanis impingit, de eo tempore accipi debet, quo *Trans Rhenani Teutones Francique* & *Gothicum Burgundis Gallias* invaserunt. Tunc enim tenebræ iacumbere cœperunt *literaturæ* in *Germania*.

ab Hier. Bignonio atque Steph. Baluzio subjectæ sunt, tum ex aliis ap. Goldastum *Tom. II. rerum Alemannic.*, ex *Traditionibus Fuldensibus*, & si quæ sunt ejus generis, abunde percipitur. Videlicet usum communem adeo sequebantur desides illi scriptores, ut de emendatione nulla formularum, quas in forum semel receperant, cogitarent; quin & barbariem affectare & in ea æmulari videbantur. Et tamen ille sermo is fuerat, qui *inter eruditos* tantum servabatur. Erat enim præter hunc *corruptior* alius, *popularis* nimirum & *plebejus*, quem *Romanum*, a victore populo, Galli, (ut & Hispani,) quin & *Gallicum*, ex *usu vernaculo*, appellabant: quale etiamnum *Gallorum* idioma est; saltem quod a seculis dehinc secutis emendatum, & in modernum nitorem deductum fuerit. Atque ille *Gallicus* sermo tunc temporis digno nomine sermo quoque *rusticus* audiebat: de quo junge Bignonium in *præfat. ad Marculli formulas*, & latius *Carol. du Fresne in Præfat. Glossarii*, s. 28. & 33. ubi plures.

Tametsi vero *Lingua Theotisca* præ Gallica illa tanti pretii extiterit, ut eandem, in media *Francia*, Galli primores loquerentur, atque hoc idioma *Aulicum* & *Nobile* fuerit: quo *Gerardus* respicit, in vita S. Adalhardi Abbatis, qui *si vulgari*, ait, *id est, Romana lingua*, (*rustica illa*, seu *Gallica*,) loqueretur, *omnium aliarum putaretur inscius: si vero Teutonica, enitebat perfectius: si Latina, in nulla omnino absolutius*. Nam *Theotisca* primores; *Romana* seu *Gallica*, vulgus loquebantur: *Latina* literati, in negotiis publicis expediendis & consignandis, utebantur: (quocirca etiam in *Concil. Turon. tertio*, an-

n 8130. can. 17. statuitur: ut Episcopi habeant homilias rusticam Romanam linguam aut Theotiscam dictatas.) adde Buffieres Lib. I. Hist. Franc. Berthaultium & al. Scribi tamen Lingua illa Theotisca suis characteribus propriis integre recteque, ante tempora Carolina, non potuit: imo Gilbertus Genebrardus, ad annum Christi 428. ab ipso Caroli M. tempore tradit, Germanos linguam suam literis describere, & cum Christiana religione Musas excipere, cepisse; atque Aventinus, populos ad Albim & mare Balticum habitantes, tempore demum Ludovici, accepisse literas a Merbodio refert. Saltem illud factum fuisse studio Coroli videtur, (de quo in ejus vita Eginhardus, *) ut initia scripturarum, quantum fieri posset, complerentur. Hinc Otfridus Linguam hanc Theotiscam, qua ille tum temporis Evangelia vertit, agrestem, hoc est, ut ipse exprimit;

* Ille: Inchoavit & Grammaticam patris sermonis, (instinctu Nannonis, Praeceptoris sui, eoque ut & Theobaldo, Albino atque Berengario adjutoribus usus est. Sed aut difficultate impeditus, aut bellis implicitus, aut morte praeventus, negotium non perfecit.) Nec tamen patri sermone contentus, sed & peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Petro Pisano doctore Latinam ita didicit, ut aequae illa ac patria orare sit solitus, Graecam vero melius intelligere quam pronuntiare poterat. De Ludovico Pio, filio ejus, Theganus: Lingua Graeca & Latina valde eruditus: sed Graecam magis intelligere poterat, quam loqui; Latinam vero sicut naturalem aequaliter loqui poterat. Voluit etiam, ut Paulus Warenfridus, seu Diaconus, alique Evangelia & Epistolae vernacula lingua concionibus illustrarent.

mit, nec scriptura nec arte expolitam, vocat. Fuit autem Otfridus ille, Monachus Weissenburgensis, qui & *Grammaticam Caroli Magni*, (cujus partem sibi visam esse, nec tamen eam legere se nec intelligere potuisse; usum vero esse rudimentis illis *Otfridum* in scribendis carminibus suis memorat in *Polygraph. Tribemius*,) una aggressus est, (de qua opera quoque *Lambecium Lib. II. Bibliothec. Vindob. C. V. p. 463. seqq.* adire licet,) discipulus *Rabani Mauri*, Archi-Episc. Moguntini, qui & ipse sub *Carolo M.* & ejusd. auspiciis tantopere Linguam Germanicam excoluit. Id. *Lambec. d. c. V. p. 415. seqq.* (qui & *p. 465.* ad plures de prisca illa Germanorum lingua remittit.) Nec minus idem *Rabanus Maurus*, *Haimo item* & *Strabo*, sacrum Codicem in linguam Teutonicam transtulere. Quam quidem translationem periisse dolet *M. Flac. Illyr. in præsar. ad Otfridii Evangel.* Scilicet eo deductus est honor ille *Theoriscæ linguæ*, ut emendato (v. *Goldast. Præsar. Animadv. in Parn.*) peculiari & genuino literarum *charactere*, tum & coordinatione idiomatici debita, rectius aliquantum scribi posset. Alias enim monumenta plura *literarum Runicæ*, sexcentis fere annis ante *Caroli M.* tempora exarata, profert *Olaus Wormius*, in *Monument. Danicis*; eademque cum aliis ipse illustrat, in eximio opere de *Literatura Runicæ*, (a *Runis* seu veteribus *Danis* sic dicta:) ut & *Jo. Bureus*. Monumenta vero *Lapidum Runicorum*, quæ ante vel paulo post diluvium erecta scribit *Jo. Magnus*, *Hist. Sueo Gorb. VII. c. 1.* fidem fortiri nequeunt. v. *Scheffer. Antiquit. Upsal. c. 2. p. 12.* Cæterum nostras literas *ex Runicis* enatas esse, *Harsdörffer*, in *Specim. Philol. Teuton. Disqu.*

Disqu. VI. f. 6. verosimile habetur; atque multa etiam *Gothica scriptura* antiquiora adducuntur: quin & proprius quoddam Documentum, *Christophorus Brouverus*, & eodem non laudato, in calce *Tr. d. Orig. Juris*, p. 343. *H. Conringius*, quo vix ullum antiquius ipse, & non minus d. 1. *Conringius*, in *Lingua seu Idiome Germanico*, extare putabat, ex *MSC. Palatino*, latinis literis exaratum, producit, Professionis fidei, in *Concilio Liptinensi* concinnatæ, quod anno 743. celebratum fuit. Utique hoc non modo *Wormii* illa & *Gothica*, longe vetustiora, sed & eodem *Saluzatio Angelica* ex *Luc. I.*, quam *Victor Capuæ* Episcopus, ex *Harmonia Evangelicorum Titiani*, circa annum Christi 671. vulgavit, antiquior est.

Quantumcunque vero studium hocce Carolinum fuerit, tamen *literaturæ* hujus inventæ vel emendatæ, saltem in *forensibus* & *publicis*, nullus usus: quin potius omnia monumenta continuo *lingua latina* * composita;

quo-

* Quæ nimirum *publica* illa fuerat. Unde *Herm. Conringius* cap. 13. de *Or. Jur.* p. 51. a vero alienum esse censet, quod *Felix Faber*, Monachus Ulmenf. *Lib. I. Histor. Suev. c. III.* narrat: *Carolus Magnus* leges quasdam *Teutonicis* dedisse, in suo *idiome*, quæ adhuc habeantur. Quantum illam traditionem simpliciter non rejecerim: & potest sane *Carolus*, ut singuli illas *Leges*, quas *Faber* adhuc extare asseverat, intelligerent, *idiome Germanico* edidisse; ut tamen *Langobardicis* literis scriptæ fuerint. Etenim *Monumenta* saltem aliqua, licet pauca, etiamnum extant *Germanici* *idiomatis*, quæ literis illis exarata sunt: ut *juramentum Caroli*, *Regi German. Ludovico* præstitum, *Oratio Dominica*, & *plura carmina*: de quibus *carminibus*. *Conring.* in *Prefat. ad Tacit. d. Mor. Germ.*

quotidiana vero reliqua, cum nemo facile animum scriptio-
ne illa nova onerare cuperet, & si quis unus alterve peri-
tiam illius acquirere vel maxime studuisset, alios tamen in
eandem difficultatem pertrahere non posset, *Langobardi-*
cis literis, cessantibus paullatim Græcis, facilius concipi
posse visa sunt: cum primis quod sub lege annullationis,
scripturam *Theoriscam* adhibendam esse, nec Carolus nec
alius ex Successoribus ejus sancire voluerit. Imo & *Cle-*
rus, qui confectione Scripturarum nutriebatur, magno-
que sui emolumento Cancellos & Secreta Aularum infide-
bat, ne idioma illud *Latinum* aboleretur, (nauseam quo-
que cæteris ex difficultate scriptiois Germanicæ, ut &
Lehmanno *Lib. V. c. 107.* notante, non minus reliquorum
studiorum, movens; haud dubie etiam perspicuitatem for-
mularum & receptum sensum causatus,) per plura secula
obstitit: adeo ut vix studium illius Linguae vernaculæ an-
te seculum XII. & XIII. in publica monumenta recipi po-
tuerit: ipseque *Maximilianus I. Imp.* teste B. Rhenano *II.*
c. 5. ingentia præmia proposuerit, si quis *publicas literas*
Germanico Sermone *ante Seculum X.* conscriptas profer-
ret. (Nam quod H. Conringius *d. Orig. J. G. c. 25.* nihil
pene apud nos patria lingua scriptum ante seculum XIII. af-
ferit: illud facile ex Archivis Monasteriorum aliis refelli-
tur.) Neque etiam Comitialis aliqua Constitutio, quæ
lingua patria exarata sit, antiquior ea reperitur, quam *Gol-*
dastus Tom. II. *der Reichs-Sagungen p. 17.* habet, eamque
ad annum 1237. refert: cui fidem conciliat *Gotfridus, Mo-*
nachus Colonienfis, in Cenobio ad S. Pantaleonem, quando
is ad annum 1236. scribit: *Curiam celeberrimam ap. Ma-*
B gun-

guntiam indictam, ubi fere omnibus Principibus Regni Teutonici convenientibus, pax jurata, vetera jura stabilita, & Teutonico sermone (quod hinc ceu insolitum notat Author,) in membrana scripta omnibus publicata fuerint. Sed ab hac Friderici II. Constitutione necdum omnino Germanicum idioma invaluit. Equidem interregno illo magno transacto, Rudolphus I Imp. Edicto peculiari, (cui annum 1274 in Tom. Uno Constit. Imp. p. 30. adscribit Goldastus,) cavisse legitur, sicuti summam ejus d. l. Goldastus exhibet: ut scilicet Mandata, edicta, privilegia, pacta & contractus Teutonice lingua conficerentur: idque non modo inscitiae Nobilium tum temporis, (ex quo innumeræ fraudes & jacturæ subsequerentur,) verum etiam huic causæ, adscribunt Commentatores, quod Rudolphus ipse Latine Linguae ignarus fuerit: unde cum Legatum Bohemicum ad se Latine loquentem non intelligeret, posthac ipsum voluisse narrat Hulder. Mutius, in vita ejus, & Gerbardus de Rhoo Lib. I. Histor. Austr. p. 25. ut ne quis Nuncius aut Legatus in posterum aliter quam Germanice peroraret. Quin & fidem aliquam huic Constitutioni procurat Aventinus, quando Lib. VII. Annal. Boicor. statuisse Rudolphum commemorat, ut posthac Principum & Pontificum edicta atque privilegia in Teutonum lingua ederentur, quæ nimirum hætenus Romano sermone data fuerant: & Martinus Crusius Lib. III. Annal. Suev. Lib. III. p. 3. c. 1. Notariis a Rudolpho injunctum esse scribit, ut non amplius Latine sed Germanice literas contractuum scriberent: quia multi simpliciores plebis antea Latina scriptione decepti fuerint. (Quicquid sit, quod nul-

lus

lus istorum scriptorum *Rudolpho* coævus sit, nec coævus citet: ad hæc *Goldastus* tantum summam Edicti adducat: & de mandatis, edictis, privilegiis, in universum; *Averrinus* autem de Principum & Pontificum, (seu Episcoporum,) duntaxat edictis & privilegiis: *Crusius* vero unice de Notariis, loquatur;) saltem tentasse aliquid potuit uno alterove præcepto *Rudolphus*, & quod illis temporibus in aliis quoque evenisse observamus, concepta ab ipso esse potuit & parata generalis Constitutio, in *Comitiis* seu *Curia* universali, primo Regni sui anno 1272. *Noribergæ* habita; quæ tamen ad maturitatem aut non perduci, aut si promulgata fuit, in usum protinus invalescere & recipi simul & semel nequiverit. Etenim *Recessus* de anno 1287. in *Comitiis* ab ipso *Herbipoli* celebratis (*Recessus* enim *Novicus* non reperitur:) *Germanica* lingua confectus est. Sed reliquæ Constitutiones, quæ extant ævi ejusdem *Rudolphini* & seqq. *Cæsarum*, *Latino* idiome conscriptæ, ipsumque *Caroli IV.* *Bullæ Aureæ Authenticum*, licet ante ipsum *Ludovicus Bavarus* magnum incrementum *Linguae Germanicæ* addidisset, (quod *literarum studia* per *Italiam* & *Germaniam* tunc quidem largius crescerent,) eodem tamen idiome *Latino* exaratum; neque ante *seculum decimum quintum* *Idioma Germanicum*, *Clero* adhuc dum semper repugnante, prævalere cepit. Et sane *Linguam Latinam* retineri juxta *Germanicam* oportuit. Inde *Maximil. I. Imp.* in der Ordnung von Notarien, de anno 1512. 30 Edltn. *utrumque Idioma* pro forensi, & in quo *Notarii instrumenta* sua conficere debeant, declaravit: tum deinde *Carolus V.* *Capitulatione* sua, in art. XIV. poli-

licitus est: daß in Schriften und Handlungen des Reichs er keine andere Zungen noch Sprach gebrauchen lassen wolle, dann die Deutsche, (quam primo loco ponit, quod illius usus præcipuus esse debeat; quamvis in R. A. 1530. §. 133. habeatur: in Schriften, Latein und Deutsch zu stellen) oder Lateinische Zungen: Es wäre denn an Orten, (additum est in Leopoldina, art. 43. außershalb des Reichs,) da gemeinlich eine andere Sprach in Übung und Gebrauch stünde, alsdann mögen Wir und die Unsern Uns derselben dafelbst auch behelffen. loco verborum: alsdenn mögen &c. in Capitul. Leopold. habetur: jedoch in allweg an Unserm Reichs-Hoff-Rath der Deutschen und Lateinischen Sprachen unabbrüchig. Nam Camerae Imperiali ulterius prospici necesse non fuerat: & cum solum ad Aulicum Caesaris iudicium *Italica* causæ deferantur, inde iudicii illius Idioma forensi cavendum esse videbatur: quo respicit etiam *Ferdin. III. Imper. R. H. D. Tit. III. §.* Ferner soll in dergleichen Parthey-Sachen keine Schrift in anderer Sprach, dann Deutsch und Lateinisch, bey dem Reichs-Hoff-Rath, angenommen werden; Es wären denn etwa Acta Appellationum, Documenta, Zeugen Auffag und dergleichen, so zwar in der Sprach, darinnen sie geschrieben, anzunehmen, aber es soll dabey eine beglaubte, und von der Obrigkeit besiegelte und approbirte Translation in Deutsch oder Lateinischer Sprach, sters mit produciret werden. & in Tit. VI. §. Was Sachen. ibi: Unsere Secretarii, in derjenigen Deutsche oder Lateinische Expedition es gehöret, &c. Nec immerito Idioma *Germanicum* in expeditionibus qua fieri potuit, usurpandum voluit ipse quoque *Carolus V.*,
non

non quidem, quod *Sleidanus Lib. I.* conjicit, ut in Imperio *Galli* loqui desinerent; (ceu *Carpzovius* quoque *c. X. ad L. Reg. sect. 4. n. 2.* indigne ex hac *Carolina* sponfione elicit, eum simul hoc ipso promississe, quod ad officia Imperii solum Germanos recepturus sit:) sed quod honos Gentis id exposceret, atque nunc Idioma vernaculum satis excultum esset. * Sane *Romani*, etiam in *Asiaticis* dominiis suis, sermonis patrii retinentissimi fuerant, (conf. *Augustin. Lib. XIX. d. Civit. Dei, c. 7.*) ut ille sermo primis quidem temporibus (nam postea *Græcus* etiam admissus est. v. *Limn. ad art. XIV. Capitul. Carol. V. p. 215. seq. & jam ante translata in Orientem Imperii sedem Græca lingua Romæ in pretio habebatur:*) unice pro civili in Con-

B 3

tracti-

* Commendet nobis Linguam nostram *Jul. Cesar Scaliger, Princeps Veronensis*, (in *Eusebium*): *Quæ capita, ait, maxime necessaria sunt ad cujusvis lingua perfectionem: ea cuncta atque universa in vestra, (Germanica,) ac vel cum omnibus communia, ut æquales sint, vel sibi propria, ut superior judicetur, reperientur. Jam tum primum omnium brevissima est, eoque natura vel imitatrix, vel emula, vel potius socia. Deinde purissimam intelligas, quæ nullius exteri dominatus illuvie contaminata fuerit: (neque enim amittere debuit, quod aliis dare posset,) tum autem copiosissima, omnesque capiens vocalium omnium, cæterorumque elementorum vel hiatus vel flexus, vel dispositiones. Uti-que componit illa & exprimit feliciter cæteris. v. *Lazium Lib. II. d. Gallo Græc. p. 32.* ac in variando abundat: Specimen habet, de lingua patria optime meritus, *Schottelius Orat. VII.* ubi phrasin unam centies & septuagies commutavit.*

tractibus, Legatis, &c. servaretur. Ipseque *Tiberius in Decreto Patrum*, (adeo enim in expeditionibus quoque publicis sermonis puritatem fovebat,) cum *ἑμβλημα* recitaretur, requirendam, (Suetonio recensente, c. 70. in *Tiber.*) nostratam vocem pro peregrina; aut si non reperiretur, per ambitum rem enunciandam, voluit. Poterat vero, *Casaubono* monente, vox: *inserta*, substitui. Interim tamen *Latina* lingua ex Imperii Romano Germanici negotiis eliminari non debuit: estque eo referendum, quod nuper tradit *Varillas*, en *l'histoire des revolutions, arrivées dans l'Europe, en matiere de Religion. Tome second L. 7. l'an 1530. p. 140.* ibi: *Il (Melancton) la Confession de foy Luthérienne d'Augsbourg, composée en Latin; parce que cette Langue avoit plus de rapport que les autres avec l'Empire Romain, que les Alemans prétendent avoir été transporté dans leurs Pais; (Carpzovius c. X. sect. 4. n. 12. d. Leg. Reg. peregrinam nobis non esse Linguam Latinam, ait, qui in domicilium Gentium, ex quo lingua latina toti orbis imperaverit, successerimus:)* & *Lutber*, * qui sçavoit routes les delicateesses du Langage de son Pais, la traduisit en *Alemand*. Sed obtinuit tamen *Electo Saxo*, ut quamvis

* Ita de eo *Sleidanus*: *Germanicam linguam & exornavit plurimum & locupletavit, & primam in ea laudem obtinet, & ea vertit e Latino sermone, (de versione sacri Codicis, quæ prima 1524., emendatior 1539. edita est, ipse quanto labore constitit Tom. V. Jenens. fol 141. eloquitur:) quæ verit non posse putabantur, & significatissimis utitur verbis, maximeque propriis, & unica voce nonnunquam rem ob oculos ponit.*

vis Episcopi *Latinum* exemplar prius legi vellent, nihilom. Caroli Imp. jussu prius *Germanicum*, quod *Baierus D. Furis* & Consiliarius Electoralis manu tenebat, (quodque ab universis, etiam indoctis, intellectum, animos ad primam recessione avidos occuparet,) legeretur. Utique pedissequam fore necesse est *Latinam Linguam*, & omnes quæ ex hac procedunt *Europæ Linguas* reliquas, sermonis nostri Patrii seu *Germanici*, quando plenius enitescet assertum *D. Praesbii, Scaligero* non minus, ac omnibus fere qui *Germanos* nunquam victos & indigenas esse evincunt, approbatum. Nam is *Dissertatione peculiari de Origine Germanicæ Latinæ Linguæ*, Ratisbonæ nuper emissa, tenet, ad instar *matris* habere *Linguam Germanicam*; *Latinam* * vero *filiam* esse, & *Germaniam* radices *Latinæ Linguæ* possidere: cum non modo a *Tuscis* *Germanica* vocabula in *Latium* transferint, sed & *Galli* & *Galatæ*, *Hispani*, *Britanni*, *Celtæ* & *Scythæ* ** *Germanicæ* sint *originis*,

* *Quin* & *Græcos* pariter *vocabula* sua, nobiscum communia, (*v. Lazium Lib. 2. d. Aborigin.* qui tamen *Lib. 1.* ultra sexcenta recenset, cum *Græcis* plane non convenientia:) & *phrasin*, quæ nostræ quoque congruit, (*Bernegger. Qu. 2. ad Tac. German.*) ex veteri *Lingua Celtica* accepisse *Eruditi* conjiciunt; quanquam plures ambiguum esse censeant, num a nobis *Græci* plura, quam nos ab ipsis petierimus. *ap. Harsdörffer. Specim. Philolog. Disquis. § 5. §.* Sicuti *Lazius* multa ex nostro *idiomate* in *Latinum* transisse putat. *lib. 2. d. Lingua. Vet. Gallogr.* ut & *Schottel. Orat. VIII.*

** *Nam* & *Gentes* Patriæ nostræ, *Alani*, *Gothi*, *Almanni*, *Cim-*

nis. Ad hoc bella *Celtarum* crebra cum *Italis*, commercia quoque, hospitia & colonias, partim necessarias partim violentas, detulisse voces Germanicas in Latium. Imo *Romam* totam factam esse Germanicam, nec sine Divino numine hoc Linguae Germanicae fatum vices & compagem Imperii Romano Germanici antecessisse. Editurus quoque est *Onomasticon Latino Germanicum*, in quo non alia habet, quam quae sono, sensu & origine cum Germanicis conveniunt. Equidem *Lipsius* jam olim *centur. 3. Epist. ad Belg. Epist. 44.*, quem nuper admodum secutus est *P. Hachenbergius*, *Disc. 7. German. med. §. 3.* Jo. Goropium *Becanum* despiciatui habuit, quod is passim in *Indo Scyriticis* & *Hermathena*, asserere conaretur, *Belgicam* seu *Cimbri-*
cam Linguam, quae *Teutiscam*, seu *veterem Saxoniam*, cum moderna, *der Nieder-Sächsischen*, seu *Platt-Deutschen Sprache*, propius refert, (ceu longius ab ea recedit, quam *Francicam* alii dicunt, *die Hoch-Deutsche*,) esse primogeniam, & omnium antiquissimam, cæterasque linguas, ne *hebraea* quidem excepta, ex ea velut matrice originem ducere. (v. *Lambec. H. Bibl. Cas. c. 8. p. 761. seq.*) At vero si *Hetrusca* lingua Hebraeae dialectus est, atque hinc etiam *Romet* altum Deum notat, ex Germ. *Ruhm*,
 (Ro-

Cimbri, *Teutones*, fuere *Scytha*, cum *Celtis* ex *Thracibus* orti; *Waltonus* in *Appar. ad Bibl. Polyglott. Anglic. Proleg. 16. n. 4.* *Salmaf. ad Tabul. Cebet. & Rupert. ad Besold. Synops. minor. c. 1. p. 17. seq.* nec minus *Celtarum* nomine præter *Germanos*, *Galli*, *Hispani*, *Britanni*, *Illyrici*, contenti fuere, qui omnes unam linguam locuti sunt. *Phil. Cluver. Lib. I. German. Antiq. c. 5. seq.*

(Roma) gloria: (nam verum nomen *Romuli* occultatum fuisse scribunt, ne genius inde evocari potuerit: (v. *Be-fold. Jur. Publ. I. c. 1. p. 3.*) inaudita hæc cenferi non debent: & multum in ea hypothefi a pluribus annis, quejs *Teutonicum Lexicon* * parat, membrum illud celebre *Societ. frugifera*, (quæ felici fucceffu ad emendandum *idiotma vernaculum* anno 1617. instituta eft,) Serotinum, den *Spahen*, defudaffe novimus: quin & *litteras* fuas Romanos a Celtis aliisque populis Germanicis mutuaſſe, jam olim *Becanus*, *Schrieckius*, & *Stevinus*, adſtruunt. Sane *Lipſius*, *Schottelio* etiam iudice, *Orar. III.* non debebat ob hoc *Celticam linguam* plane alienam habere a noſtra, quod in plurimis immutata reperiatur; nam hoc fatum commune linguarum eſt: ceu moderna noſtra eadem eſt haud dubie cum priſca illa *Todiſca*, a qua tamen quantum receſſerit, v. *Harsdörff. Diſqu. 4. ſ. 13. ſeqq.* Nec probat quicquam contra *Becanum Hachenbergius*, niſi quod cum *Lipſio* & *Voffio* Germanos vocabula quædam a Romanis accepif-

C

cepif-

- * Alius plane labor eſt *Theſaurus Linguae & Sapientiae Germanicae*, (cujus *Auguſta* anno 1616. editi exemplar Author *Georgius Heniſchius*, *Med. D. & Mathemat. Auguſtanus*, Bibliothecæ Acad. noſtræ donavit:) ad literam H. excluſive perductus: in quo intra terminos idiomatici Author ſubſiſtit, ſimplicia inveſtigat, & derivata, epitheca, affinia, &c. magna utique induſtria, explicat. Alia iterum occupatio fuit *Lindenbrogii*, in concinnando *Lexico veteris ſermonis Germanici*: quam commendat H. *Grotius*, in *Epift. 144. ad Gallos*, ipſumque plura adjumenta habere ſcribit, quam *Spelmanus* & alii habuerint.

cepisse tradit, & cum *Aventino* & *Camerario*, quod nonnulla quoque a Græcis hauserint. Quid quod etiam voces, quas illi adducunt, eodem modo a Germanis ad Romanos Græcosque pervenisse potuerint? nec tamen quamvis aliter se habeat, ex hinc ad originem Idiomatis integri arguere licet. Alii *Hebraicam* omnium primam esse volunt, ut *Buxtorff. de Orig. & Antiqu. Lingu. S. §. 32. seqq.* & *Walton. d. l. Proleg. 3. n. 3.* Et ei soli prioritatem, nulli tamen alii, præ Belgica largitur, in *Libbr. Adversariorum*, *Schrieckius*.

Cæterum *Latina Lingua* usus in contractibus privatorum, & negotiis quotidianis, sub medium fere *Seculi XIV.* frequentari desuit; in magnis vero & Imperii causis publicis, cum primis illis, quas ad perennem posterorum memoriam, per idioma magis stabile, perdurare, vel etiam cultioris Orbis partibus innotescere voluerant, & nunc etiam volunt, Instrumentorum conditores, *Latina Lingua* subinde adhibita fuit; sicuti *Carolus IV. Imper.*, amantissimus licet *Lingua Germanica*, (teste *Goldasto ex Chron. in rational. ad Aur. Bull. p. 103.*) nihilom. tamen *Auream Bullam* Lingua Latina concipi voluit: & in *monumentis, inscriptionibus, sigillis, monetis* & *Cæsaris & Magnatum*, idioma illud adhiberi plerumque videmus. Est quoque usus *idiomatis Latini* necessarius fere, & præ cæteris linguis magis congruus, in illis, quæ cum *exteris* suscipimus; unde & in utroque *Instrum. Pacis Westphalico*, & in recentioribus etiam, tam Imperii nomine, quam & inter *exteras Potentias conclusis Tractatibus* plerumque illud adhibendum esse placuit. Neque enim *Galli* eo perducere

rem

rem potuerunt, ut in *nuperis Congressibus* cum ipsis nomine *Imperii* habitis, consultationes & scripta ab iis Lingua sua concepta & exhibita pro authenticis & objecto deliberationum haberentur. *

Por-

* Als bey dem Franckfürther Congress in anno 1682. auf der Königlich Franckösischen Gesandten in Franckösischer Sprache abgefaßte Proposition, die Deliberation angetreten worden, haben die Gesandten der Reichs-Stände ihr Conclusum, zur Antwort auf die Proposition, in Teutscher Sprache, der Käyserlichen Gesandtschaft zugestellet, damit dieselbe, da es von ihnen approbirt, solches in die Lateinische Sprache bringen, so dann von denenselben das Project, so denen Franckösischen Gesandten zu übergeben, denen Reichs-Deputirten hinwiederumb zu ihrer Ersehung communiciret, und wann diese nichts darbey zu bedencken, denen Franckösischen Legatis überreicht werden möchte. Es haben auch die Käyserliche Gesandten und Reichs-Deputirte bey denen Franckösischen erinnert, daß sie doch ins künfftige der Lateinischen Sprache sich gebrauchen möchten. Worauf aber diese geantwortet, was gestalt sie bey der Franckösischen bleiben würden, in Ansehung, daß doch gleichwol die Lateinische Sprache gegen dem Röm. Reich pro vernacula zu halten: Hingegen ist von jenen eingewendet, wie dieses Vornehmen nicht allein wider des Reichs, sondern auch wider aller hohen Vo-

tentaten differenter Nation und Sprache, in der
 Christenheit übliches Herkommen, und leicht zu erach-
 ten sey, wann man ihnen solches nachgeben wolte,
 daß dann folglich von Spanien, Engelland, Polen,
 und andern ausländischen Cronen, dergleichen auch
 prætendirt werden möchte. Ob nun wol, sonderlich
 durch die Båyerische Gesandtschaft, hierüber ihnen
 alle dienliche Vorstellung geschehen: haben jedoch die
 Königlische sich zu einem mehrern nicht erkläret, als
 daß sie eine Lateinische Copie machen, und dieselbe de-
 nen Kåyserlichen, wiewol ohne Unterschrift, überge-
 ben wolten. Welches als es von ihnen geschehen,
 hat zwar die Exhibita die Kåyserliche Gesandtschaft
 angenommen, aber dabey zugleich zu verstehen gege-
 ben, wann das Lateinische Exemplar nicht in forma
 probante überreicht würde, daß man so dann sich
 darauf nicht einlassen könnte. Nun hat es zwar bey
 dieser Sprach-Zerrung allerhand Gedanken, und
 zwar nachfolgende, gegeben; ob man nicht zuzulas-
 sen, daß am End des Exemplars gesetzt werde: *pro*
translato avthentico; wiewol die Kåyserliche Ge-
 sandtschaft darzu nicht stimmen wollen: oder: *pro*
avthentico. Item: *pro exemplari avthentico*; in-
 gleichen ob man nicht von des Reichs Seite auf zwey
 Columnen Deutsch und Latein zu schreiben, und sol-
 che zu unterschreiben, hingegen auch die Französische
 Gesandtschaft auf der einen Columnen Französisch,
 und auf der andern Latein zu setzen, und auch beydes
 zu unterschreiben; worbey dann jedem Theil frey ge-
 lassen

lassen werden könnte, welches derselbe pro Originali oder authentico halten wolte. Allein es hat die Käyserliche Gesandtschaft insonderheit die Meynung geführet, daß man auf die Französische Replie, ungemeldet in was für Sprach dieselbe gesetzt sey, antworten, und aufs künfftige des Idiomatis halben sich die observanz reserviren solle. Wornit sich aber die Chur-Mäynische Gesandten nicht vereiniget, sondern daß dergleichen dem Ampt des Erz-Cancellariats nachzugeben, nicht verantwortlich falle, vorgewendet; inzwischen aber an den Churfürsten referirt, und dieser solchen Handel an den Käyser nach Wien, und die Reichs-Versammlung nach Regensburg, gebracht. Mittemeile haben die Französische Gesandten sich erkläret, daß sie eine Deutsche Duplic annehmen wolten: Und haben einige von denen Reichs-Deputirten vermeinet, daß man dieselbe mit einem translato wohl hingeben könnte. Es ist aber solches verblieben; unerachtet auch das an Chur-Mäyn von der Reichs-Versammlung zu Regensburg eingelaufene Gutachten dahin gangen, daß allenfalls in beyderseits vernaculis, cum translato Latino, gehandelt, und darbey wieder præjudiz und consequenz sich verwahrt und bedungen werden möchte. Gestalt die Französische Gesandtschaft sich vernehmen lassen, so lang man von ihnen dasjenige, was sie in Französischer Sprache überreichen würden, anzunehmen verweigerte, sie hinwiederumb in der Lateinischen Sprache nichts annehmen würden. Dannes hatten end-

Ich die majora, von Seiten des Käyfers und des Reichs, plak gewonnen, daß man eine Haupt-Deliberation über die merita causa gehalten, und darauf zu einer Deduction super juribus Imperii gelangt wäre. Diese als die Käyferliche Gesandten denen Französischen Gesandten in Latein überreichen wollen, haben sie solche prætextu Idiomatis nicht angenommen, mit dem einwenden, daß dieselbe dem, der Sprache wegen, zu Regensburg gemachten Reichs-Schluß, nicht gemäß in Deutsch und Lateinischer Sprache zugleich übergeben sey. Gleichwie aber die Käyferliche Gesandtschaft hierauf geantwortet, daß solch Reichs-Gutachten von der Käyserl. Majest. nicht approbirt wäre; dahero auch sie die Käyferlichen von denen Französischen Gesandten kein Productum in Französischer Sprache alleine annehmen würden. Also hat man wol vermercken können, daß es denen Französischen Gesandten nicht so sehr umb das Idioma, als vielmehr darum zu thun gewest, daß sie die Duplic zurück halten mögen, weil sie wohl gewust, daß die majora wider sie gewesen, und auf ihre Proposition nicht gehandelt werden wollen. Nachdem aber die Sach in solche wege gelangt, haben sie lieber die Tractaten abzubrechen gesucht, und dahero die Deduction nicht angenommen, sondern einen terminum peremptorium von zweyen Monathen gesetzt, binnen denen der Käyser und das Reich die Proposition annehmen möchten, welche ad transigendum, nulla facta meritorum Discussionem, gerichtet gewesen. Haben demnach eine Französische Declaration, und darneben eine Lateinische Translation, der Käyferlichen Gesandtschaft übergeben; von der zwar das Französische Exemplar,

plar, aber das Lateinische nicht angenommen worden; wobey es auch die Französische Gesandtschaft bewenden lassen. Hiernächst haben sie wiederumb der Kayserschen Gesandtschaft eine Declaration in Französischer Sprache abgelesen, und ist das Französische Exemplar erstlich allein, hernach auch samt dem Lateinischen, aber mit der Bedeutung, angenommen worden, daß in keiner andern Sprache zwischen dem Römischen Reich und der Cron Frankreich, dem bekandten Herkommen nach, denn in der Lateinischen Sprache, zu tractiren sey. Vorgegen die Französische Gesandtschaft sich vorbehalten, daß solches ihrem Recht und Possession, die sie ratione Idiomatis hätten, unnachtheilich seyn möchte. Und hierüber ist der Congress zergangen. Nuper admodum *Ratisbone* durch das Kaysersliche Commissions-Decret vom 1. Dec. 1686. Statibus indicatum est: daß die gravirten Stände und Glieder ihre gegen Frankreich habende gravamina etwa in Lateinischer Sprache zu entwerffen, und an seine gehörde zu bringen. Plane etiam *Legati Principum Imperii*, wann sie, nach ihrer Legitimation, denen Französischen eine Visite gegeben, (nam ante Legitimationem, ut privati, idioma Gallico usi fuere, citra salutationem a Domino suo, & nulla Legationis forma aut ceremoniis,) haben sie denenselben das Compliment in Lateinischer Sprache abgelegt.

Porro ad *Papam* atque *Reges*, nec non *Respublicas exteras*, sermone *Latino* Cæsar & Imperium utuntur. Atque utinam uterentur *Aulæ* singulæ! quas sive neglectus nitoris *Latini*, sive genius ambiguus *Linguae Gallicæ*, seculo nostro aptior

vi.

visus, occupavit, ut fere Dominos suos, plerumque sermonis Latini incuriosos, sermone Gallico non modo loqui sed & scribere faciant. Utitur deinde in Comitibus Latina Lingua *Burgundia Legatus*, nec minus causæ *Burgundicæ* in Camera, eædemque ut & *Italica* in Aula Cæsaris latine aguntur & deciduntur: Cum tamen simile quid *Sabaudia* Duci in Camera permitti noluerit. apud Brüning, *d. Var. Univ. spec. pb. 7.* licet causas inter Status Imperii controversas, Cæsar coram se aliquando utroque simul *idiomate, Latino & Germanico*, tractari cupiat. N. A. 1530. §. 133.

Proinde in negotiis *Imperii*, intra fines Germaniæ tractandis, quæcunque etiam causæ, & vel *Italica* vel *Gallica* illæ fuerint, non nisi duo Idiomata, *Teutonicum*, & quod cæteris, qui Germanicæ Linguae gnari non sunt, omnibus sufficit, *Latinum*, admittuntur. Voluit tamen *Carolus IV. Imp. in Tit. 30. Aur. Bullæ*, ubi se ad nationes diversas refert, quas *idiomate distinctas*, ope & assistentia *Electorum* regat: ut *secularium*, interque eos *Regis* quoque *Bohemie* filii, (idem dictum esto filiis *Principum* & *Statuum* cæterorum, qui & ipsi gubernaculis Imperii in universo, & ad usum ejus, in regionibus suis admoventur,) *in Grammatica, Italica & Slavica Linguis instruatur: eo quod illæ Linguae ut plurimum ad usum & utilitatem Sacri Imperii frequentari sint solitæ, & in his plus ardua ipsius Imperii negotia ventilentur.* Nam *Germanicæ* institutionem inculcare noluit, quod ipse dicat *naturaliter* hanc illis inditam esse. *Italica* quoad Regnum *Italiæ* necessariam duxit, quam rationem omittit *Mylerus ad d. c. 30. Aur.*

Aur. Bull., egregiam scilicet aliam substituens, ut Principes Electores Scriptores Politicos Italos intelligere possint, & male concludentes alias. Sed *Gallicæ* non meminit Carolus, qui tamen *Gallia Archi-Cancellariatum* Trevirensi pridem muniverat. Nempe Gallico idiomate ne ipsi quidem Gallium temporis, in publicis & forensibus, utebantur; & imo *Latine* jus dictum est in Gallia, ad usque tempora *Francisci I.*, qui anno 1539. Edicta, arresta, processus, & acta, nec non tabulas contractuum & testamentorum, in posterum Gallice concipi voluit. Nec tamen hodiernum *Acta* in Imperiali Camera, quæ in Lingua Gallica ab Inferioribus judiciis concepta sunt, recipiuntur; nisi in Latinum Idioma translata fuerint. C. G. D. P. 2. Tit. 31. ff. Nachdem auch. Num vero *Latinae Linguae* oblitus fuisse Carolus putabitur? Ipse gnarus illius Linguae, quam & adhibebat in Imperii negotiis, & adhibenda fuerat, Italica & Slavonica exclusis. Equidem Germanicus interpres, in Goldasti Versione, habet: in Latiner, Sämpter und Schlesner Zunge. Et potuit tempore Caroli IV. in *Silesia* (quamvis in *Bohemia* sua & conterminis regionibus id studiosè egerit Carolus IV., ut *Germanica* lingua incrementa sumeret,) in usu fuisse lingua *Slavica*, ut indicare voluerit Interpres, quænam lingua nomine illius *Slavica* a Carolo intelligeretur: quidque idem intelligeret nomine *Grammaticæ*: nam & *Berneggero*, (in *Præfat. de Idol. Lauretan.*) si hunc modo iudicem in his talibus accersere fas habetur, per Grammaticam in d. l. A. B. *Latinam Linguam* intelligi visum est; eademque sententia Mor-

D

quar-

quando Frebero * sedit. Sicut autem male Linnæus censuit, quod hac voce nullum idioma, sed Grammatica in Italica & Slavica linguis, veniat: nam textus ipse huic sententiæ diserte refragatur: ita non velim unice Linguam Latinam ea voce accipere; nec etiam Grammaticam, ut ars est legendi & scribendi, quæ magis Grammatistica dici solet, antecursoria artis: non etiam simpliciter qua designat literaturam Quintiliano *Lib. II. c. 14.* Sed ut latius artem bene & ornate loquendi & scribendi, simulac objectum artis specificum illud *Latinae Linguae* denotat: quem sensum vocis suppeditat Vossius in *Lib. II. d. Philolog. c. 5. § 99.* sicut *Senecæ* quoque Grammatici *Linguae Latinae custodes* appellantur. *Epistol. XCV.* Et incongruum fuisse, Carolum IV. non injungere Electorum filiis *Latinae Linguae* studium, quæ *naturaliter* indita non fuerat,
 &

* peculiari Dissert. ad c. ult. Bullæ Caroline, quando Grammatica nomine peritiam Latini sermonis intelligi tradit; ut sit ap. Rabanum Maurum *Lib. 3. d. instit. Clericor. c. 18. de arte Grammatica & speciebus ejus.* Grammaticam latine expresseris, ait, *Literatoriam.* Adducit de in Sigismundi, filii Caroli IV., Reformationem de Monialibus, ut discant Grammaticam, i. e. Latinam Linguam. *Item. sie sollen im Closter ein Schuol haben, das sie lernen die Grammaticam, und die heylige Geschrift etwas zu verstehen: dann sie moegen das studieren weder die Maenner.* Ideoque apud Germanos non accipi pro arte, sed pro ipsa Lingua. Et tamen ipse Freberus ab una parte Grammaticam artem
 non

& latius tamen quam *Italica* & *Slavica* patet; imo in rebus Imperii paris cum vernacula honoris vel necessitatis est. Utiq̄ue *Sigismundus Imper.* ignorantiam illius linguae in Electoribus & Principibus reprehendebat, quod eorum nemo fuerit, qui exterorum Legatis in ea respondere quiverit. Atque hoc rubori fuisse narratur *Ruperto Palatino*, ut jam senex literas Latinas, Magistro adhibito, didicerit. Quantam inde gloriam in Comitibus Augustanis *Jochimus Elector Brandenburgicus* a *Carolo V.* reportaverit, quod is nomine Principum *Ecclesiasticorum*, quorum nullus id præstare poterat, oratione latina Pontificis Legatum exceperit, & qua ratione *Carolus* istam incuriam Episcopis exprobraverint, Acta illorum Comitiorum loquuntur. Sane *Maximilianus Imper.* non modo *Italice* & *Gallice*, verum & *Latine* loquebatur, mutus ab infantia ad decimum usque annum, sed qui promptissime simul & semel loqui inciperet. teste *Cuspiniano in vita ejus.* *Quin* & *Invictissimus Caesar Leopoldus*, ne quid gloriae ipsi desit, *Latine*, non solum vulgari modo, sed ornate etiam, & hoc ipsum expedite loquitur. Et omnino his qui ad clavum Reipubl. sedent, idioma Latinum præprimis cognoscendum est: non modo, quoniam istud alias inter cæteras

D 2

lin.

non penitus excludit; ab altera vero plane etiam ad variam eruditionem dilabitur, quando *Grammaticam*, inquit, non e sterilibus tantum & aridis præceptis, sed usu potius perpetuo & bonorum Authorum interpretatione, imitatione, exercitatione, puritatem linguae pariter cum varietate doctrina comparandam esse.

linguas, in his negotiis quæ ardua sunt, principatum tenet: veluti in rebus Ecclesiæ, in noscendis Juribus, privato & publico, in disciplinis & omnigena sapientia, (quippe quod nunc etiam Latina lingua doctorum & sapientum Virorum vernacula habetur;) verum etiam quia interpret uti tædio & dedecori, quin &, comprobante exemplis *Lindenspür ad d. Tir. 30. A. B.*, periculosum est.

Porro *Slavonicam* Linguam Europa tertia fere sui parte, totoque orientali tractu, præter Hungariam & Wallachiam, loquitur. Etenim recepta in *Europa* a *Dalmatis, Liburnis, Macedonibus, Epirotis, Bosnatibus, Serviis, Rasciis, Bulgavis, Moldavis, Croatis, Cosaccis, Russis, Polonis, Massoviis, Bobemis*: In *Asia* a *Circassis, Mengrelis & Gazarivis*. In *Imperio Turcico* plerique *Ganizariorum* eam callent, & non modo in militia Turcica, sed & in Aula usurpatur: (licet in publicis *Turcico* sermone, cuius *Lexicon* Interpres summus Cæsareus *Meninsky* edidit; in religionis causis *Arabica* utantur.) Hinc procedit, quod *Durando* Speculatore teste, in *Præfat. Rationalis Divinorum Officiorum MSC.* in Ecclesia celebrare liceat Missam in tribus linguis, *Latina, Græca & Slavonica*, quam ibi vocat *Windicam*: Zu dem drittenmal, die Messe wird begangen in Windischer Sprache, durch Sache der Breytung und Gemeinheit; wann kein einige Sprach an ihr selber ist so weit getheilet, als die man Windisch nennet. Darumb ist sie auch genommen an der Ebraischen Sprache statt. *apud Lambec. Lib. II. Bibl. Casar. c. VIII. p. 781.* ubi notat, *Mis- sale*

sale Romanum jussu Urbani Pontificis non solum *idiome Slavonico*, sed & *litteris Slavonicis* Romæ editum esse: quin & Goldastus *præfaz. Tom. III. Constit. Imp. Attilam* (Bonifacio autore, tribus linguis, *Latina, Germanica & Slavonica* Leges Comitiales conscribi voluisse memorat. Est autem lingua illa *Vindica*, (v. Phil. Cluver. *III. d. Antiqu. Germ. c. 46. p. 697.*) Illyrica, Pannonia, sic enim Slavica illa sæpius appellatur, *dialectus Linguae Celticae*, quæ, ut supra monitum est, per maximam Europæ partem, Hispaniam nempe, Galliam, Germaniam, Britannicas Insulas & Illyricum, atque dehinc latius diffusa fuit. Cluver. *I. d. Antiqu. Germ. V. p. 43.* Conf. si placet *Adami Boborzi Arcticas horulas succisivas de Latino Carniolana literatura*, ad Latinæ Linguae analogiam accommodata, *Wirtembergæ* anno 1584. in oct. editas, quo libello tanquam *Slavonica Linguae Grammatica*, non tantum Moschovitice, Rutenice, Polonice, Bohemice & Lusaticæ Linguae cum Dalmatica & Croatica cognatio indicatur, sed & ipsa Orthographia tam Cyrillica sive Moschovitica, quam Glagolitica sive Croatica, Synopticis aliquot tabellis comprehensa proponitur. (Usui futuras putaveris Filiis Electoralibus, si qui illorum ex ævo Carolino superstites fuerint.) Adde etiam de *Genre Slavica* Bilib. Pirckheimer. *Descript. German. fol. 700. seqq.* & Angel. Werdenhagen *P. III. d. Rebusp. Anseat. c. IX.*

SOLI DEO GLORIA.



EXurgis celeri visu, gratissima musis
Proles, ac socias in tua castra vocas,
Qua recum jungi, qua disceptare parata.
Fontibus eximis, noscere vera student.
Imperii linguam patria gravitate tueris,
Externos legem perdidicisse cupis,
Quam seruent nostris, aut, si qua forte loquantur,
Consultent, scribant, commemorare velint.
Nos sequimur partes, & qua sis laude ferendus,
Annuimus laeti; quin meliora damus,
Qua licet egregias mentis componere doctes,
Et vita constans exhibuisse decus.

Scrib. l. mque

GEORGIUS SCHUBARTUS.

Qualiter ad solis fulgur Jovis ales acutum
Evolat, eximios monstrans natalibus ortus,
Haud aliter tua Te virtus vocat optime STRUVI,
Tanto Patre satius, cui verum fasque fidesque
Visa lotus cinxisse, suamque Astra bilancem

Credi-

*Credidit: Hos sequeris ductus, assuetus apricum
Juris ferre jubar, rabidosque viriliter ignes:
Peyge, velut pergis, Fove note, sacrique ruere,
Ut bene cepisti, vigilanter juris habenas.
Sic laudis solidæ celsas volitabis ad arces,
Inque feres celo Magnus caput alter, & olim
Omne superstes eris Magno cum Patre per avum.*

Nobilissimo Domino STRUVIO Amico
conjunctissimo cum voto p.

H. C. H.

In Geist der Jugend liebt und von dem Himmel
stammet,
Der diß was Vöbelhafft, und niedrig ist, veracht,
In dessen edler Brust der Ehre Zunder stammet,
Der schnöde Eitelkeit als leichten Sand verlacht;
Der sucht durch Kunst und Wiß den Sternen sich zu
nahen,
Der Ihnen hoher Ruhm treibt ihn zu hohem an,
Und muß von ihrem Strahl er seinen Glanz empfa-
hen,
So zeigt er, daß auch er diß Licht vermehren kan:
Er, Werthgeschätzter Freund, läßt dieses klärlich
sehen,
Wie Kunst und Jugend sey sein einzig Eigens-
thum,
Des hohen Vaters Preis sieht er erhaben stehen,
Doch sucht er auch durch sich zu mehren seinen
Ruhm,
Er

Er fahre ferner fort, so wird der Lohn sich finden,
Den ihren Söhnen hat Ustraa aufgesteckt,
Es werden Palmen sich um seine Schlaffe winden,
Die keiner Zeiten Rost noch Neider Gifft befeckt.

Dem Wohl-Edlem-Herrn *Respondenzen*,
seinem Werthgeschäften Freunde,
wolte mit diesem geringen wohlmei-
nend beglückwünschen

J. P. C. V. H.



99 A 6992

ULB Halle
002 824 825


3



Zho ✓







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Q. D. B. V.
DE

IDIOMATE IMPERIALI,

Von der,
In Reichs-Handlungen üblichen Sprache;

PRÆSIDE

DN. NICOL. CHRISTOPHORO
LYNCKERO, Jcto,

*Consiliario Aulae, Regim. & Consist. Ducal. Saxon. Facult. Jurid. Se-
niore, Cur. Provinc. ac Scabin. Assess. & Antecessore Primario:*

DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO COLENDISSIMO:

IN AUDITORIO JCTORUM

D. JANUAR. A. O. R. MDCLXXXVII.

DISPUTABIT

GEORG. GOTTLÖB STRUVIUS,

JENENSIS.



HALAE MAGDEB. SUMTU HENDELIANO, 1736.